prosperitate quam receperat
agebat Sed nec hoc pretereundum
est quod fimbrie vestimento eius
ciliciisque detracte crebras super
infirmantibus egere virtutes
Nam cum aut digitis illigate
aut collo indite sunt per sepe
ab egrotantibus morbos effu-
gaverunt 20
Arborius autem vir prefec-
torius sancti admodum et fide-
lis ingenii cum filia eius gra-
vissimis quartane febribus
vreretur epistolam martini que
casu ad eum delata fuerat pec-
tori puelle in ipso accessu
ardoris inseruit statimque fe-
bris fugata est Que res apud
arborium in tantum valuit vt
statim puellam deo voverit et
perpetue virginitati dicaret
profectusque ad martinum pu-
ellam ei presentem ob virtutum
eius testimonium que per absen-
tem licet curata esset obtu-
lit Neque ab alio eam quam a
martino habitu virginitatis
imposito passus est consecrari 21
Paulinus vero vir magni
postmodum futurus exempli
cum oculum graviter dolere
cepisset et iam pupillam eius
crassior nubes super ducta tex-
isset oculum eius martinus
penicullo contigit pristinamque
ei sanitatem sublato omni dolore
restituit 22
Ipse autem cum casu quodam
esset de cenaculo devolutus
et per confragosas scale gradus
decidens multis vulneribus
esset affectus cum exanimis
iaceret in cellula et inmodicis
doloribus cruciaretur nocte ei
angelus visus est eluere
vulnera et salubri vnguine
contusi corporis membra con-
tingere atque ita postero
die restitutus est sanitati
vt nichil vnquam pertulisse
incommodi putaretur 23
Sed quia longum est ire
per singula sufficiant hec
vel pauca de plurimis Satisque
sit nos et in excellentibus
non subtrahere veritatem et
in multis vitare fastidium
Atque ut minora tantis in-
seram quamvis vt est morum
etas temporum quibus iam
depravata omnia atque corrup-
ta sunt pene precipuum sit
adulatori regie sacerdotalem
non cessisse constantiam
Cum ad imperatorem maxi-
mum ferocis ingenii virum
et bellorum civilium victoria
elatum plures ex diversis
partibus episcopi convenissent.